

#### Munus A

Libertatem arguendi amittit et peccat qui ab eo accipit, qui ideo dat ne corrigatur.

Ambrosius in epistola ad Corinthios 1.

#### Munus B

Munera excecant oculos iudicum et vim auctoritatis inclinant.

Ibidem.

#### Munus C

Facile contemnitur clericus qui sepe vocatur ad prandium et non recusat. Numquam petentes raro accipiamus rogati. Nescio quomodo eiam ipse qui deprecatur ut tribuat cum acceperis, viliozem te iudicat, et mirum in modum si eum rogantem contempseris plus te post veneratur.

Hieronymus ad Marcellam.

#### Munus D

Ante Dei oculos numquam est vacua manus a munere, si arca cordis plena sit bona voluntate.

Gregorius in homelia.

#### Munus E

Non ex Abel muneribus sed ex Abel munera oblata placuerunt.

Gregorius libro 22. moralium.

#### Munus F

Veteri colebatur proverbio, quia vacue manus temeraria peticio est et profecto importunus precator est qui ad dandas ad verba confidit. Utrobique enim, scilicet apud medicos, obtinet pro solis verbis montanis utimur herbis pro caris rebus pigmentis et specibus.

Chrysostomus in tractatu de simbolo.

## Munus G

Quis non erubescat dicere quid michi dabis, ut tibi iusticiam faciam, nonne simile est ac si dicatur, quid michi vultis dare, ut meipsum abnegem, officium perdam et Deum vendam.

Chrysostomus ibidem.

## Munus H

Quo beatus Eugenius munera caucius abigebat ad eum undique multiplicius confluebant, hoc quoque fere ubique accidit ut fugiant dum queruntur, dum fugantur accelerant. Cum eidem prior quidam modice facultatis cuius causam nondum audierat, in arcam auri devocione multa instantem offerret nondum inquit ingressus est domum, et iam vis corrumpere Dominum, corrupcionem namque vir sanctus credidit quicquid offerebatur lite pendente.

Chrysostomus ibidem.

## Munus I

Tres sunt munerum acceptiones, quibus contra iusticiam humana vanitas militat, id est favor amiciciarum, adulacio laudis, et corporalis accepcio muneris. Facilius autem pervertitur animus rei corporee munere quam gracie laudisque favore.

Isidorus de summo bono libro 1.

## Munus K

Oblacio enim muneris tinea est regiminis.

Cassiodorus in epistola.

## Munus L

Peremptorium enim est in principe vel auram adorare munerum vel favorem querere personarum, teste siquidem Propheta: In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum re, est munus. Transibunt iniquitates in penam et munera in dolorem, quia testimonio Iob: Ignis devorabit tabernacula quia munera libenter accipiunt.

Petrus Blesensis.